DOMINICI ARUMAEI, ... DISCURSUUM ACADEMICORUM AD AUREAM BULLAM CAROLI 4. TERTIUS...

Dominicus Arumäus, Martin Schele, Valenti Gonzaga

THESIS

I.

MOdus legitime ad Imperia perveniendi duplex apud Gentes fere receptus est, Electio scil. & Successio: quarum hanc propter ingenitum subditis erga prolem regiam amorem stabiliorem; illam vero tutiorem arbitramur: tum quia præstantissimum gubernaculis admovet, &, secus ac successio, mentis inopes & simpliciores iisdem prohibet: tum quia arctioribus Reipublicæque utilioribus LL. electum constringit, nec eandem licentiam in subditos grassandi eidem concedit, ut patet exemplo Electorum Ecclesiasticorum.

II.

Et hæc electio in Imperio Romano laudabiliter recepta est. Licet enim id per quam plurimos annos Familia Austriaca obtinuerit, propter majorum merita, *Moguntin. apud Sleidan. 1. comm.* quod etiam apud Danos & Polonos usu frequentatur: ne tamen in hæreditarium degeneret, Capitulationibus diligenter provisum est. *Capit. Caroli V. Artic. 28. & hujus D. Ferdinandi II. Artic. 34.* & Electores, causâ illâ meritorum cessante, si voluerint, in aliam familiam dignitatem Imperatoriam transferre non prohibentur.

III.

Quæ electio ratione certæ familiæ & personæ libera quidem est; ad certam tamen gentem scil. Germanam restricta, tum *arg. Capitul. Caroli V. Artic. 14. & hujus D. Ferdinandi II. Artic. 12.* tum Lege aliquâ, quâ cautum, ut non nisi Germanus Imperator designetur, teste Moguntino *apud Sleidan. 1. Comm. Irenico 3. Exeg. German. c. 33. Mutio in Chron. German. lib. 14. Nuenar. in Orat. ad Elect. pro* Carolo *V.* Quæ Lex, utpote fundamentalis, & communi statuum omnium consensu ex prægnanti illa, quam innuit Trevirensis *apud Sleidan. 1. Comment.* ratione, ne scil. imperii hoc decus ad alienigenas transferatur,

recepta, à Pontifice, Imperatore, & Electoribus abrogari nequit. Interest enim Imperii, ne ad externum deferatur, qui morum subditorum, quorum peritiam in Probo Imperatore commendat Vopiscus, ignarus, eam, quam indigena erga illos benevolentiam repræsentare nequit, unde facile dissensiones oriuntur *Cominaus 8. Comment. in fin.* Imo si extero deferamus imperium, facilè (quod in Caroli V. personâ tantopere metuit Moguntin. *apud Sleidan. 1. comment.*) fieri posset hæreditarium, cum ad normam ejus regni, in quo natus & educatus est, dirigere allaboret, difficulterque ipsi persvadeatur, aliud esse justum quàm ipsi videatur. *Tholosan. 7. de Republ. cap. 4. n. 13.* Et hoc etiam L. divinâ *Deuteron. 17. vers 5.* & Exemplis aliarum gentium corroboratur. Sic Galli nullâ aliâ de causa L. Salicâ fœminas regno præesse vetuerunt, quam ne summa regni ad externum aliquem deveniret, Veneti in Reipubl. administratione externo locum nullum relinquunt. *Patrit. 3. de Republ. Instit. tit. 2.* Belgæ speciali privilegio peregrinos à Republ. submovent, quod interversum ipsis à Philippo 2. Hispan. Rege *Autor. de J. belli Belgici* conqueritur. Helvetii eosdem nullis officiis publicis præficiunt. Angli quam molestè tulerint Mariæ cum Philippo II. Hispaniar. Rege nuptias, testatur Carri & Viati in eundem Philippum conjuratio, de quâ *Thuan. 13. Historiar.*

IV.

Germanum intelligimus etiam illum, qui extra Germaniam patre Germano natus est, *l. 1. §. fin ad Municip l. 3. C. eod.* Sic Fridericus II. patre Henrico VI. Germano in Sicilia natus, *Peucer. 5. Chronic. Cuspinian. in vita Frider. II. Gœden. Consil. 1. Rub. An Eligi possit.*

V.

Electio autem fieri debet secundum cap. 2. A. B. quod requirit initio: ut, antequam progressus fiat ad Electionem, postridie quàm ingressi sunt Electores Francofurdium, in Ecclesia S. Bartholomæi missa de Spiritu S. decantetur, ut eorum corda illustret *pr. h. t.* more inter Pontificios recepto, qui cujuscunque Electionis initium Missam statuunt, *P. Gregor. 1.*

Partit.

Partic. 3. Canon. 29. Cap. 5. de Election. ejusque omissione eam... Matth. Marc. p. 2. Decision. 1,86. Quæ tamen dum durat, Electores Principesq; Protestantes, in proximum conclave secedunt, & eâ finitâ in sedes suas regrediuntur, ubi ode illa, VENI CREATOR SPIRITUS, decantatur. teste Heiden. in Election. Maximilian I. & Relatore Election. D. Matthiæ.

VI.

Finito hoc hymno, In Electione D. Matthiæ, ut testatur Relator d. Election. Electores una cum Brandeburgico Legato, quem tamen non præcessit Mareschallus cum gladio, ut cæteros Electores; ad altare præstituri juramentum processerunt, cumque summum gradum adscendissent, faciemque ad astantes convertissent, Moguntinus in medio constitutus, exposita conventus causa, primus verba prælegente Trevirensi juramentum præstitit: quem subsecuti cæteri, verba præeunte dicto Moguntino, itidem jurarunt: Seculares digitis ad librum Evangeliorum; Ecclesiastici ad pectus admotis. Quo peracto Moguntinus duos Notarios requisivit, qui actum hunc, vocatis prius in testimonium adstantibus, consignarunt. Quanquam autem in A. B. quo ordine juramentum præstare Electores soleant, non sit decisum, tamen subsequens observantia hoc ita declaravit. Ut 1. Moguntinus 2. Trevirensis 3. Coloniensis 4. Bohemus 5. Palatinus 6. Saxo 7. Brandeburgicus id præstent. *Buxdorff. ad A. B. thes. 28.*

VII.

Formula & Summa juramenti hæc est. *Ego Elector juro per fidem, qua Deo & Sacro Imperio sum obstrictus, secundum omnem discretionem & intellectum, cum Dei adjutorio, me electurum temporale caput Populo Christiano, id est, Regem Romanorum in Cæsarem promovendum idoneum*, id est, Præsentis Reipubl. status amantem, maxima facultate ad munera magistratus obeunda præditum, virtutis & justitiæ studiosum, Aristot. 5. Polit. c. 9. *vocemq. meam & votum seu electionem daturum absq; omni pacto, stipendio, pretio, vel promisso, seu quoquo nomine ea appellentur. Sicut me Deus adjuvet*, § 2. *b.* Etsi enim electio sit nulla, super qua tractatus fuit habitus, *c. bona memoriæ ubi Innocens,*

nocent. n. 2. extr. de Election. & pecuniam Electionis nomine accipere illicitum: *l. un. ff. ad L. Jul. de Ambit.* quia tamen tales Nundinationes frequentatas esse probat & Electio Caroli IV. *Cuspin. in vit. Carol. IV. Crantz. 9. Saxon. cap. 26.* & Wenceslai *Cuspinian. d. l.* recte illis via obstructa Juramento.

IIX.

Ex quo consequitur, Electionem talem, utpote formâ non servatâ, tam dantis quam accipientis respectu esse nullam, *c. 27. extr. de Simon.* totumque actum annullari, *c. 42. extr. de Election.* ne electo suum delictum prosit. *Simon Pistor. Consil. 1. n. 33.* idque in tantum verum est: ut etiam tum Electio irritetur, cum pecunia data est, ignorante electo, ab alio *d. c. 27. Sichard. in l. 5. n. 4. C. de his quæ vi metuq; &c.*

IX.

Post electionem tamen licitè pecunia accipitur, quia L. ambitus non spectat ad id, quod datur sponte post electionem, *Marc. p. 1. Decis. 936. n. 10.* & datum spontaneâ voluntate ad delictum excludendum præsumimus: *c. fin. extr. de Præsumt. Felin. in c. 12. extr. de offic. & Potest. Judic. Delegat.* licet Fridericus Saxoniæ Dux à Caroli V. ministris oblatam Heroice repudiarit. *Sleidan. 1. Comm. Erasm. 4. Epist. 13.*

X.

Præstito autem per Electores seu nuncios juramento, ad electionem procedunt, cujus rei causa sacellum ordine Cœsareum, quod concameratum & oblongum choro ad meridiem adjacens conclave est, altari eleganter extructo & pulcherrimè exornato conspicuum, multisque undique magni pretii appensis tapetibus condecoratum, omnes ingredi solent. *Relator Elect. D. Matthiæ*, nec ab invicem Francofurto recedere possunt, nisi major ipsorum pars Romanorum regem elegerit. Quod si vero intra 30. dies, à præstito juramento continuos, id facere distulerint, panem manducent & aquam *§. 3. hic.* Facile enim Respublica aliquid damni capere posset, absentibus ejus vicariis, si longior mora indulgeretur. Et hinc etiam Pontificis electioni 3. præstituti sunt dies, quibus si peracta non est,

Cardi-

dinales per 5. dies sequentes uno ferculo; quod si iis elapsis nec dissenserint, pane & vino sive aqua contenti esse cogun-tur, c. 2. de Elect. in 6t. ut scil. effrenatæ illi sicariorum licentiæ, quæ post mortem Pontificis impunè grassari solet, mature præ-veniatur. Ex eo autem quod certus terminus electioni præsti-tutus est, corrigit CC. in c. 34. ext. de Elect. opinio; quæ Electo-res, si tardi in eligendo sint, admonitique à Papâ ut eligant non pareant, jure suo cadere, idque ad Papam revolvi statuit: Laurell. templ. omn. Jud. lib. 1. c. 2. quæst. 4. §. 2. n. 2. Gœden. Con-sil. 1. tit. de Coron. Cæsar. n. 4. quia per A. B. non tantùm certus terminus, sed & tardioribus pœna constituta est.

XI.

Ex eo, quod jurant Electores se temporale caput populo Christiano electuros, non male colligitur; quia caput cœteris membris est dignius, Imperatorem cœteris omnibus regibus es-se superiorem. Quam autoritatem ei Imperii conciliat digni-tas, teste Philippo Landgravio Hassiæ apud Sleidan. 17. Comm. & proculdubio Galliæ Hispaniæque regi præfertur, ut patet è nobili illâ Regum Galliæ & Hispaniæ Legatorum concertatio-ne apud Thuanum 35. Histor. unde recte Guntherus in Ligurino lib. 6.

Nullum caput ista super se
Aspicit excepto cœlorum rege potestas.

& Obrister Voigt der Christlichen Kirchen R. A. de Anno 1530. §. auff solch unser gnädigst item Oberhaupt im Reich R. A. de Anno 1566. §. und nach dem dann nicht weniger &c. vocatur.

XII.

Illud dubium est, an viventi & volenti Imperatori rex Ro-manorum adjungi possit? Et Affirmativa sententia, quam tu-entur Autor Relat. Histor. Election, D. Matthia Anton. Quetta Consil. 1. n. 22. Heiginus 1. Quæst. 6. n. 42. nobis verior videtur: quæ probatur ex A. B. cap. 1. pr. ubi dicitur: quod quotiescun-que & quandocunque necessitas emerserit, Romanorum rex eligi possit. Quæ verba ad solum mortis casum restringi non possunt: tum quia sunt indefinita: Decian. vol. 2. Resp. 28. n. 40. tum quia ita nec eligi posset Rex Romanorum Imperatore

in-

inhabili, cujus contrarium evincunt Exempla Adolphi Nassovii & Wenceslai: tum quia necessitas etiam urget ubi Imperator aliorum regnorum curis est implicitus. 2. Carolus IV, dum filium suum Wenceslaum se vivo regem Romanorum creandum curavit, *Cuspinian. in vit. Wencesl.* ita ipse A. B. interpretatus est. 3. In Successoriis regnis rex filium vel proximum agnatum socium regni adsumere potest, quia dilationi regiminis, quæ favore regis post mortem ejus constituta est, rectè renunciat. Ergo & in Electivis. Quod enim in illis successio, id in his præstat electio. 4. Id probant Exempla Friderici III, qui Maximilianum I. Caroli V. qui Ferdinandum I. Maximiliani II. qui Rudolphum II Rudolphi II. qui Matthiam Imperii gubernaculis unà admoverunt. 5. Facit huc *princip. Constitut. de Pac. Constant. & c. 1. ibi salvo honore Distinct. 23.*

XIII.

Invito tamen Imperatore rex Romanorum eligi nequit, licet astu Pontificis id sæpius factum exempla Ottonis 4. Henrici 2. Henrici Landgravii Thuringiæ, Wilhelmi Comitis Hollandiæ, & Caroli IV. satis superque doceant. *1. arg. § 21. in fin. ff. de Collation l. 2. §. 2. ff. de V. & P. Subflit.* 2. Hinc est quod, etsi Papa cum Cardinalibus de futuro successore deliberare valeat, *Alber. de Rosate in l. fin. n. 6. C. de Pact.* nulli tamen sermones cedere superstite & invito Papa de ejus successore licet, *Alciat. in d. l. fin. n. 17.* fuitque Cœsarum temporibus Romæ capitale, si quis de futuris à morte Imperatoris contingentibus disceptaret. *Autor Discurs. de Reb. Gallic.* Angli etiam tempore Elisabethæ publico edicto sanxerunt, ne quis de futuro successore disquireret, pœna capitis proposita in eum, qui secus faceret. *Bodin. 6. de Republ 5.* Nec injuria. Nam 3. cum plures solem orientem, quam occidentem adorent, ut Pompejus Syllæ, teste *Plutarcho in vita Pompej.* dixit, facile inde æmulationes & bella suppullulant, 4. Qua de causa recte respondit Valentinianus Imperator, referente *Sozomen. Histor. Ecclesiast. lib. 6. cap. 6.* cum milites, ut Imperii socium sibi adscisceret, obnixissime peterent: Me, inquit, ad imperandum deligere, ô milites, penes vos erat: sed cum jam à vobis sim electus, consortem imperii

quem

quem sumere postulatis, non in vestra sed mea solius situm est potestate: quia etiam vos, qui meo jam imperio subjecti estis, conquiescere, me autem utpote Imperatorem quî agendum sit considerare decet. Est enim 5. Imperator Imperii si non dominus, at saltem custos, citra cujus voluntatem actus, qui in re exercetur, plane nullus est. *l. 5. ff. de Acquir. Possess. l. 9. C. eod.* 6. Quæ ratio movit Guntherum Comitem Swartzburgensem, ut non aliter contra Carolum IV. se eligi passus sit, quàm Principes Imperii, penes quos eligendi erat potestas, decreto publico Imperium vacare significarent. *Cuspinian. in Gunther. Peucer. 5. Chron. in Carol. IV.* & ante illum Albertus I. Adolpho Nassoviensi oppositus eo occiso Imperium in manus Electorum resignavit, quia priorem electionem vivo Adolpho & Trevirensi Palatinoque absentibus factam, illegitimam reputabat. *Pantaleon. ad Urspergens. in Albert.* Nec alia de causa Caroli IV. electionem Principes improbarunt, quàm quod vivo Ludovico facta erat. 7. Si vivo Imperatore liceret regem Romanorum eligere, plura fierent Imperii capita. Quod tamen contra Electorum Juramentum est, quo promittunt se electuros caput, non capita, temporale. *§. 2. hic.* Plane si justa causa subesse, non tantum Rex Romanorum Imperatori adjungi; sed & ipsi plane remoto substitui potest; ut patet exemplo Adolphi Nassovii *apud Cuspin. in vita Adolphi*, & Wenceslai *Peucer. 5. Chron. in ejus vita.*

XIV.

Quod si Electores circa electionem dissenserint, quem major pars elegerit, pro Rege Romanorum habetur. *§. 4. h. t. arg. Constit. Ludovici 4. quæ extat apud Hieronym. Balb. lib. de Coronat. cap. constit. Ludov. ejusq; meminit Alberic. à Rosate in l. fin. C. de Quadrienn. Præscript. arg. l. 19. ff. ad Municipal. c. 57. extra de Election.* Dignus quippe promoveri est, *ait Cassiodor. lib. 11. Varior* qui à multis meruit appellari. Uni enim acceptum fuisse interdum gratia est, multis placuisse judicium. Nec aliàs facilè exitum sortiretur electio, pronis ad dissentiendum hominum animis, *l. 17. §. 6. ff. de Recept. Arbit.* si non ea, quæ numero vincit, præponderaret sententia. Quod etiam usus appro-

bavit. Sic enim Rupertus, licet tres Electores, *Aventin. 7. Annal. Bojor.* Carolus V. licet Trevirensis, *Sleidan. 1. Comment.* Ferdinandus I. licet Saxo, *Sleidan. 7. comm.* adversarentur, Reges Romanorum electi sunt.

XV.

Partem autem majorem intelligimus, non eligentium; sed collegii §. 3. *ibi nisi prius major &c. & §. 4. ibi* vel pars ipsorum major &c. *hic c. 57.* ubi Panormit. *extra de Election.* quia electio Electoribus non ut singulis; sed ut collegio competit. *Ludolphus à Pappenb. de J. Regni cap. 6.* Et ita sentit *Morla in Empor. Jur. tit. ultim. quæst. 9. n. 14.* & in terminis. *Onuphr. Panvin. de Comit. Imperat. tit. verior 7. Imperii Electorum &c. aliiq; à Buxdorff. thes. 35. lit. E. hic citati.*

XVI.

Quod si vota paria sunt: puta si tantum 6. adsint Electores, septimus absit, sicut Bohemus tempore electionis Maximiliani I. præteritus fuit, referente *Mauro de Coronat. Caroli V.* electio, si pars altera alteri accedere renuit, nulla est: quia requiritur major pars ad electionem. Nec ferenda est *Gœden. Consil. 1. tit. de Coron. n. 3. & Lancell. templ. omn. Jud. lib. 1. c. 1. §. 2. quæst. 4.* sententia, qui alterutrum confirmandi potestatem liberam Pontifici deferunt: tum quia quod nullum est confirmari nequit: tum quia ita inter Electores facilè dissensio excitaretur, quia ea pars, quæ à Pontifice negligitur, & tamen dignitate & eligendi potestate cœteros exæquat, facilè offenderetur: tum quia Pontifex dissentientibus Electoribus personam Electoris adsumere nequit. *c. 34. extra de Election.*

XVII.

Illud quæritur: An si non major pars Electorum, sed tantum duo vel tres convenerint, hi nihilominus ad actum electionis procedere possint? Et verius est posse: 1. quia absentium non habetur ratio, § *21. in fin. hic*, eorumq; jus in præsentes devolvitur l. 7. §. *fin. Quod cujusq; univers. 2. in c. 4. §. 2. hic* dicitur seu his qui potuerint vel voluerint interesse, & ideò si duo vel tres tantùm voluerint interesse, rectè ad electionem proceditur. Imo ex sententia *Innocent. in c. 42. n. 5. extra de Election.* & unus

eli-

agere, testibusque convocatis, votum suum dicere, & electionem publicare potest. Quo pertinet *gl. ff. in d. l. 7. §. fin. Quod cujusq. univers.* licet unus, ait, non sit universitas, nec universi, nec universus: retinetur tamen jus universitatis.

XIIX.

Elector tamen ante finitam electionem superveniens, ad electionem admitti debet, in eo statu, in quo adventus tempore consistebat. §. *4. hic. c. 3. vers.* Sane si aliquis *de Elect. in 6t.* cum enim jus præsentium per advenientem non fiat deterius, rectè admittitur, *arg. l. 8. ff. si quis Caution.*

XIX.

Peracta Electione statim privilegia Electorum confirmat Rex Romanorum, §. *5. hic.* Est enim electus Rex Romanorum idem qui Imperator. *cap. 5. §. fin.* Imperator sive Rex Romanorum &c. At Imperator indubiè privilegia confirmare potest *l. 1. l. 3. ff de Constit. Princip.* 2. Principatum ad Imperium devolutum potest alteri concedere *c. 7. §. 3. hic.* Ergo multo magis privilegia confirmare. 3. In regnis successivis, eveniente successionis casu, etiam ante coronationem succedenti debetur regis nomen: Coronatio enim tanquam externa Ceremonia Regem non facit, sed factum tantùm probat. Electio autem electo tribuit idem Jus, quod tribuit successio successori. Rectè igitur exploditur eorum error, qui Pontificis Coronationem Imperatori necessariam, & sine ea Imperatorem dici non posse clamant. 1. Repugnat enim sententia Maximiliani I, qui in Oratione ad Imperii ordines habitâ, coronationem Pontificis sibi non videri necessariam asserit. *Bodin. 2. de Republ. 6.* 2. Subsequentes Imperatores omnes initio facto à Ferdinando I. usque ad hæc tempora, veri Imperatores non essent, quia à Papa coronati non sunt. At hi & revera sunt Imperatores, & ab omnibus tales coluntur & habentur. Ut non vanum huc usque eorum augurium esse appareat, qui, cum in Coronatione Caroli V. Bononiæ celebratâ pons ingens, super quem ingrediebantur, corrueret, rem in omen vertentes, ex confracto ponte nullum deinceps Imperatorem coronatum iri, vaticinati sunt. *Cornel. Agripp. de Coronat. Carol. V.* 3. Si Coronatio hæc esset

necessaria Carolus IV. nominis Pontificii studiosissimus ejus meminisset in A. B. quod tamen nullib factum reperimus. Imo cum post mortem Ludovici Clemens 6. Carolo huic nostro diploma dedisset, & postulasset: ut imposterum nullus, nisi de consensu & autoritate Pontificis, Imperator crearetur: postulatum hoc ejus Electores tanquam iniquum rejecerunt. *Aventin. 7. Annal.* cumque id ejus postulatum inaudivissent Basilienses, eorum consul præsente Carolo IV. ad Legatum Pontificium dixit: quemcunque Principes & Domini Electores, vel major pars pro Romano Imperatore nobis dederint, illum pro tali habebimus, etiamsi Papa nunquam requireret. *Mutius in Chron. German. lib. 25.* 4. Electus statim, etiam citra coronationem Pontificis, administrat. *§. 5. hic.* Ergo etiam Imperator ut sit necesse est, quia ut inquit *JCtus quidam de translatione Imperii cap. 6.* administratio Imperii est fundamentum honoris Imperialis, quæ si cui concessa est, is omnia ea, quæ inde dependent, habet. 5. Electores jurant se electuros caput temporale Populo Christiano *§. 2. hic.* Non ergo Papa eligit. Si non eligit, electum statim caput populi Christiani fieri necessum est. 6. Si per coronationem Pontificum jus Imperii iis confertur, sequitur regibus etiam aliis à regnorum Episcopis regna dari: quia coronam iis imponunt. Sic Christiano III. regi Danorum Johannes Bugenhagius Ecclesiastes Wittebergensis: moderno Christiano IV. Petrus Gunsdorff Episcopus Selandiæ: Sigismundo Polonorum Archiepiscopus Gresnensis, *Dresser. de Coronat. Imper.* coronam imposuerunt: Bohemorum reges Archiepiscopi Pragenses, *Cromer. lib. 12. Histor. Bohem.* Gallorum reges Archiepiscopi Rhemenses, *Sleidan. 9. Comment.* coronare solent. Quod tamen absurdum. 7. Si Pontifex per coronationem Imperium tribuit, non prudentiâ & artibus opus est, si aliquem ad id evehere velit. Ast opus est prudentiâ & artibus, ut patet exemplo Leonis X, qui cum videret, verbis utor *Guicciardini 13. Histor.* se tantam autoritatem apud Septemviros non habere, ut multum eâ in promovendo Francisco I. proficere posse speraret, in re tam gravi prudentiam & artes necessarias censuit. 8. Quod magis perspicuè elucescet,

si

6 ad fontem & originem hujus coronationis respexerimus. Voluerunt Romanorum Principum quidam, *verba sunt Marsilii de Padua part. 2. in Defensor. Pac. c. 26.* circa tempora Constantini superflua quadam devotione electionem factam amicabiliter significare Romanis Pontificibus, ut in eorum persona Christo singularem benevolentiam exhibentes, ab eo per Pontificum intercessiones ampliorem benedictionem obtinerent. Eodemque modo propter suæ inthronisationis solemnitatem, diadema regium per eos sibi imponi curaverunt. Quam personalem laudationem & benedictionem Pontifices postea appellarunt confirmationem, & non attendentibus Principibus hoc præjudiciale verbum, sic successu temporis latenter induxerunt, ut nullus nisi à Pontifice approbatus Rex appellari potuerit. 9. Absurdum est, Electores ratione Principatuum omni jure & dignitate fulgere; is vero qui ab iis electus, & in eos omnes jurisdictionem exercet, eorum defectum pati, adeo, ut à Pontificis Romani lumine illustrari debeat. *Autor de translat. Imper. cap. 6.* 10. Ut Hæres futurus dicitur hæres *l. 75. ff. ad SC. Trebell. arg. l. 91. §. 6. de Legat. 1.* ita etiam Rex, ut futurus Imperator, recte dicitur Imperator. 11. Electus ab Electoribus per se summus est, & à nullo dependet. *pr. Novell.* 6. confirmari itaque à Pontifice nequit. 12. In inferiori dignitate constitutus sola electione citra aliam confirmationem dignitati illi tributis gaudet privilegiis. *l. fin. C. de Decur. §. 4. J. Quib. mod. Jus pat. potest. solv.* Ergo multo magis Imperator. 13. Populi Romani electio nullo alio exspectato totum & perfectum Jus transferebat *l. 2. §. 25. & 26. ff. de Origin. Jur.* Ergo & Electorum electio, quia ei æquiparatur.

XX.

Confirmationem autem privilegiorum electus ipse non solum nomine regali, cuilibet Electori primò faciet, sed & deinde sub Imperiali titulo innovabit. §. 6. *hic.* Ex quo liquet differentiam esse inter Regem Romanorum & Imperatorem. Loquimur autem de Rege Romanorum, non qui mortuo Imperatore eligitur; hic enim statim ipsa electione fit Imperator: sed qui vivo. Nam Rex Romanorum gradu honoris Imperatore est

inferior, & ipsius potestas præsente Imperatore conquiescit, nec Bulla sed tantum sigillo utitur. *Clem. un. in fin de Jurej. Lancell. tempt. omn. Jud. lib. 1. c. 1. §. 1. q. 3. Martha de Jdict. p. 1. . et. n. 25. Quetta Consil. 1. n. 16.* & in sigillis aquilam non bicipitem sed simplicem gerit. *Freber. in Not. ad Pet. de Andl. tr. de Roman. Imper. lib. 2. cap. 5.*

XXI.

Illud in controversiam vocatur: Si tres elegerint quartum è numero Electorum, an electus in sui electionem consentire, & sua voce numerum augere possit? Et Affirm. sententia fundatur *in §. fin. hic, in l. 4. ff. Quod cujusq, univers. nomin. c. 33. ext. de Election.* Ratio est, quia non eligitur à se, sed coelectoribus, dumque numerum auget, non suum sed Collegarum sequitur judicium. *Cavalcan. lib. 1. Decis. 40. n. 4.* Ut meritò excusandus sit Ludovicus Bavarus, qui fidem Friderico Austriæ Duci datá, in suiipsius electione non servavit. *Cuspin. de Divis Imperii inter duos competit.* quia in promissione persona loquentis exemta intelligitur, cum ordinata charitas à seipsa incipiat. *c. fin. Distinct. 86. l. 6. C. de Servit. & Aq.*

XXII.

Plane si uni commissa est eligendi potestas, sex Electoribus eam in unum illum conferentibus, ut factum in electione Adolphi Nassoviensis, ubi miro astu omnia vota consecutus est Moguntinus. *Cuspin. in vit. Adolph.* aut si ea potestas in illum cœteris emanentibus recidat, is seipsum eligere nequit. *c. fin. extra de Institut. arg. §. fin. hic,* ubi requiritur, ut si quis velit in sui Electionem consentire, tres ipsum elegerint. Et sanè ambitiosa esset electio, *Innocent. in d. c. 33. n. 1. extra de Elect. Cavalcan. d. Decis. 40. n. 8.* Dum enim se Imperio dignum domestico elogio existimat, animi morbum, quo se cunctis præstantiorem existimat, prodit. Primatus honoris concupiscere vanitas est, fugientem enim se desiderant, desiderantem onerant, & rectè ait *Innocent. in d. c. 33.* alios præsumere debet esse bonos, in se verò culpam agnoscere, ubi non est culpa, *c. fin. in fin. Distinct. 5. c. fin. extra de Præsumt.*

XXIII.

XXIII.

Sanguine tamen conjunctos, si eos idoneos existimaverit, eligere non prohibetur. Sic enim Moguntinus consanguineorum suum Adolphum Nassoviensem, *Peucer. lib. 5. in Adolpho.* Johannes Bohemiæ Rex suo voto filium suum Carolum IV. Hic filium suum Wenceslaum elegerunt. Et familia Austriaca quam sollicita fuerit, pro consanguineis eligendis, sat notum est. Videatur *Ludov. Roman. singul. 813. Cavalcan. d. Decis. 40. num. 13.*

COROLLARIA.

I.

Capitulum sede vacante Jure Austregarum gaudet, tum quia penes illud potestas Episcopalis residet, *arg. c. 11. & 13. extra de Major. & Obœd.* & in omnibus jure Episcopi fruitur, *c. un. de Majorit. & obœd. in 6t*, unde & ad Comitia vocatur, non quidem Electoralia; quia Jus eligendi Imperatorem speciali privilegio Electoribus Ecclesiasticis tributum est: sed Collegialia, ut probat subscriptio *Recess. Ann.* 1555. 1559. 1576. tum quia aliàs Episcopus, causam sede vacante ad Cameram devolutam, in sui præjudicium disceptare cogeretur, tum quia Ecclesia vacans jure pupillari utitur, *c. 3. ext. de in integ. Restit.* Tutor autem in causa pupillari utitur foro pupilli. Ergo etiam Capitulum in Causa Ecclesiæ. *Magnif. Dn. Præses tract. de Comit. c. 4. n. 106. Limnæus tom. 3. J. Publ. lib. 9. cap. 5. n. 28. Rumelin. ad A. B. part. 2. Diss. 1. Coroll. 3 Schubhardt de Austreg. c 3. n. 39. & seqq.* Diss. *Gail. 1. observ. 30. n. 13.*

II.

Reservatum, uti vocant, Ecclesiasticum an usquam Protestantes probarint, acriter disquiritur? Nos Negativam amplectimur arg. §. vnd nach dem bey Vergleichung

chung. Pac Relig. Et subscriptio Protestantium non omnimodum consensum importat, sed per verba illa: so viel einen jeden betrifft od' betreffen mag wie allenthalben obstehet / limitatum. *Magn. Dn. Præses d. tract. de Comit. c. 4. n. 109. Cranius de Pace Religion. part. 1. Probl. 10. Limn. tom. 1. J. Publ. lib. 1. cap. 13. n. 34. & seqq.* Diss. *Syring. de Pac. Relig. thes. 37.*

III.

Civitates Imperiales superioritatis territorialis juribus fruuntur. Sunt enim & immediatæ, statusque Imperii quibus superioritas territorialis denegari non potest. §. wie wol auch in der Ringerungshandlung / R. A. de Ann. 1548. & in suis territoriis J. Principum gaudent, idemque, quod Imperator in toto Imperio, possunt. *Reinking de Regim. Secul. lib. 1. Class. 5. cap. 5. Limn. tom. 3. J. Publ. lib 7. cap. 1. n. 49. Rumelin. ad A. B. part. 1. Diss. 1. quæst. 11. Wurmser. Exercit. J. Publ. 3. quæst. 17. ubi plures Dd. alleg.* Unde patet non malè etiam hanc superioritatem in Civitatibus dici die Landfürstliche Obrigkeit / quia Jus principale hic non à Principe ut Monarchâ, sed à Principis jure dicitur, ut è Beloldo monet *Limn. d. cap. 1. n 50. in fin.* & genericâ Principum definitione propriissime continentur civitates Imperiales, ut è Gailio notat *Reinking. d. c. 5. n. 18.*

FINIS.